Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26134
Copyright: Admont, Benediktinerstift

illi murenulas pulchras et preciosas que sunt aurium ornamenta. Atque
hoc propterea ut opinor quia fides ex auditu. et quamdiu per fidem ambulamus
et non per speciem, danda opera potius instruendo auditui quam visui exer-
cendo. Frustra namque intenditur oculus qui non sit fide mundatus. cum
solis qui mundo sunt corde videndi copia permittatur. Scriptum vero est: fide
mundans corda eorum. Quia ergo fides ex auditu. et ex illa visus purgatio est.
merito illi ornandis auribus intendebant. dum auditus sicut ratio docuit.
visus sit preparatio. Tu inquiunt o sponsa intuende dilecti inhias cla-
ritati, sed hoc alterius temporis est. Damus autem in presentiarum ornamenta au-
ribus tuis, quod erit tibi interim consolatio. erit et preparatio ad hoc ipsum quod
postulas. Ac si illud prophete ei dicant. Audi filia et vide. Videre de-
sideras, sed audi prius. Gradus est auditus ad visum. Proinde audi et in-
clina aurem tuam ornamentis que tibi facimus, ut per auditus obedientiam ad
gloriam pervenias visionis. Nos auditui tuo damus gaudium et leticiam, nam
visui non est nostrum dare in quo plenitudo gaudii et tui desiderii adim-
pletio est. sed illius quem diligit anima tua. Ipse ut gaudium tuum ple-
num sit ostendet se ipsum tibi, ipse adimplebit te leticia cum vultu suo.
Tu interim accipe ad consolationem murenulas has de manu nostra, ce-
terum delectationes in dextera eius usque in finem. Advertendum hic certe
murenulas ei offerunt, Aureas inquit et vermiculatas argento. Au- CXXXII
rum divinitatis est fulgor, aurum sapientia que desursum est. Hoc auro
fulgentia quedam quasi veritatis signacula spondent se figuraturos,
hi quibus id mysterium est superni artifices [aurifices] atque internis anime auribus
inserturos. Quod ego non puto esse aliud quam texere spirituales quas-
dam similitudines. et in ipsis purissima divine sapientie sensa a-
nime contemplantis conspectibus importare, ut videat saltem per spe-
culum in enigmate, quod nondum facie ad faciem valet ullatenus
intueri. Divina sunt et nisi expertis prorsus incognita que effamur;
quomodo videlicet in hoc mortali corpore fide adhuc habente statum.
et necdum propalata perspicui substantia luminis. Iam tamen pu-
re interdum contemplatio veritatis partes suas agere intra nos ut
ex parte presumit. ita ut liceat usurpare etiam alicui nostrum cui hoc